

**587-588 OPUSCULUM TRICESIMUM
QUARTUM. DE VARIIS MIRACULOSIS
NARRATIONIBUS, ADDITA SIMILI
DISPUTATIONE DE VARIIS
APPARITIONIBUS ET MIRACULIS.**

ARGUMENTUM.

Hoc opusculum totum exemplis admirandis refertum est, quae uno nomine miracula appellantur, quae magnam vim ad inflammandos animos ad virtutem, a vitiisque deterrendos habere, certissime constat.

Domno DESIDERIO archangelo monachorum, ac caeteris sanctis fratribus, PETBUS peccator monachus devotissimi famulatus obsequium.

Cum in meo pectore tuae charitatis ardor inextinguibiliter ferveat, meque circa tui memoriam tepescere non permittat, mihi nuper aliquid in memoriam venit, quod me mittendae tibi legationis admonuit. Nam dum in tui contemplatione sedulus habitarem, et angelico fratrum, sanctoque conventui, sic in cordis obtutibus velut corporaliter inteteressem, inter alia multa repente tuarum recordatus sum litterarum, quas tu quidem sub interrogatione misisti; sed his ego synodali praepeditus instantia adhuc non respondi. Et haec in illis, si reminisci valeo, continebantur epistolis: quia zelotypa quaedam mulier habens virum ex adulterii fraude suspectum, qualiter eum sibi vindicare posset proprio toro contentum, a vicina petiit muliere consilium. Quae nimirum perversa, et ultricibus flammis evidenter obnoxia, hoc eam sacrilegium

venenata serpentis antiqui suadela perdocuit, ut corpus Dominicum quasi communicatura perciperet, quod caute reservans, viro suo postmodum non sine quibusdam maleficiis propinaret. Quod videlicet a sacerdote perceptum, et usque dum occasio praeberetur palliolo reservatum, non sine magno dedit stupore miraculum. Haec enim particula Domini corporis inventa est usque ad medietatem in carnem esse conversam, altera vero medietas panis speciem non mutavit. Itaque si rite reminiscor, hoc proposuisti, deinde quid portenderent, inquisisti. Super qua quaestione, quia non necesse est diutius immorari, brevi compendio quid mihi videatur expediam. Nam idcirco Deus omnipotens sacrosanctum illud mysterium in carnis speciem vertit, ut perfidiam reprobae mulieris argueret, dum visibilem Domini corporis ostenderet veritatem: quatenus quae purum panem, ut videbatur, ante credebat, verae carnis speciem cerneret, sicque sacrilegam coepti sceleris audaciam suo ipsa iudicio condemnaret. Quod autem medietas sic remansit, ad evidentioris iudicii testimonium proficit, ut dum in una eademque substantia hinc panis, illinc carnis adesse consideras speciem, in utroque verae carnis verique panis indifferenter intelligas veritatem, quia et ipse est *panis qui de coelo descendit* (**Joan. VI**), et ipsa nihilominus caro quae de virginalis uteri materia prodiit.

Nam et vester ille finitimus piae recordationis Amalphitanus episcopus, nomen nescio, Stephano Romano Pontifici, me praesente, sub iurejurando saepe testatus est quia cum aliquando ad mensam Domini sacrificaturus accederet, sed super sacramento Domini corporis incredulus haesitaret, in ipsa confractione salutaris hostiae, rubra prorsus ac perfecta

caro inter ejus manus apparuit, ita ut etiam digitos illius cruentaret, sicque sacerdoti omnem scrupulum dubietatis auferret. Ubi notandum quam sit immane periculum indignis manibus attrectare tam terribile sacramentum. Sed quid de sacramentis ipsis eloquimur, cum etiam super eos aliquando, qui ex eorum vasis offendunt, terribiles fieri sententias videamus?

[DE VARIIS MIRACULOSIS
NARRATIONIBUS, ADDITA SIMILI
DISPUTATIONE DE VARIIS
APPARATIONIBUS ET MIRACULIS.]

CAPUT PRIMUM. *Terribile exemplum Arnaldi
episcopi Aretini calicem Dominicum alienantis,
et ab Ecclesia subtrahentis.*

Arnaldum certe Aretinae sedis episcopum tu quoque familiariter agnovisti. De hoc mihi Martinus eremita, magnae scilicet opinionis vir ac celebris famae narravit **589**. Quia ex quodam sui juris monasterio calicem aureum abstulit, et quibusdam imminentibus necessariis alienavit: cui nimirum calici nobilis ac devota mulier, quae eum sanctis obtulerat, anathematis titulum, ne ab aliquo tolleretur, provide fecit insculpi. Interea cuidam fratri sopore depresso, videre contigit quemdam lacum nimii caloris ardore ferventem, et piceos,

sulphureosque fetores non sine tetri fumi voluminibus exhalantem. Circa quem lacum teterrimi quidam velut Aethiopes, nigris similiter equis, sed excelsis instar turrium, insidebant. Intus autem innumerabilia crudelium tortorum monstra; damnatorum vero videbantur horribilia, ac diversa supplicia. Inter quos subito contigit, ut etiam Arnaldum videret episcopum, quem videlicet in illis prae nimietate caloris exundantibus aquis cervicetenus immersum, terribiles duo Aethiopes constringebant, quorum alter sartaginem ferream, alter calicem aureum in manibus habere videbatur; sed iste cum sartagine calicem replebat aqua, et ille labiis episcopi protinus eundem calicem apponebat, eumque funditus ebibere compellebat. Sic itaque nunquam cessabant, et ille poculum labiis hiantis immergere, et iste coactus indesinenter haurire. Quid multis immoror? Hanc visionem audivit episcopus ut monasterio restituat calicem, ab amicis omnino suggeritur. Ille sub fortassis ambiguo reddere pollicetur. Sed dum res in crastinando differtur, imo dum circa salutem suam ille non vigilat, coelestis super eum sententia non dormitat. Nam et B. Petrus de his, quae fictis verbis in avaritia negotiantur, ait: «Quibus iudicium jam olim non cessat, perditio eorum non dormitat (**I Petr. II**).» Quadam itaque die, tertia propinquante jam hora, in castelli, ubi erat, crepidinem, sellam praecepit afferri, ut surgentis calorem solis exciperet, ac matutinis frigoris reliquias propulsaret. Cumque residenti domestici sui, servi, atque contubernales assisterent; et ille securus, hilaris ac jucundus, faceta cum eis, et urbana verba misceret; subito repentinus dolor in ejus verticem tanquam gladius irruit; eumque morior, morior exclamare coegit. Mox bajulantibus necessariis defertur ad lectulum: mysterium sacrosanctae communionis accepit ac spiritum

protinus exhalavit. Timeat ergo quisquis vel ecclesiastici mysterii utensilia distrahit, vel tremendi anathematis elogium parvipendit; ne dum quasi securus ambulat, latentis eum iudicii laqueus comprehendat. Heu miserabilis valde, et infelix humana conditio! Certe praefatus episcopus licet in hoc sibi negligentiae torpor obrepserit, alias tamen acutus erat, ingeniosus et cautus, tantaeque facundiae, ut dum expeditissime in verbis decurreret, circumcisis labiis dici non immerito potuisset. Sed cum Apostolus dicat: «Prudentia carnis mors est; prudentia spiritus vita et pax (**Rom. VIII**):» quid prodest, si quispiam saeculi hujus prudentia calleat, si ingenii vivacis obtutibus abdita comprehendat, si versuta calliditate, tanquam Proteus, in varia se formarum monstra convertat.

590 CAPUT II. *Aliud terribile exemplum Tedaldi episcopi.*

Interea sub hujus occasione sermonis, illud in memoriam redit, quod olim Tetaldus episcopus praedecessor istius, in festivitate beati Donati constitutus in pulpito, sermoni, quo concionabatur, adjecit. In Longobardiae, inquit, finibus unde originem duco, vir erat versipellis ingenii, et acutissimae subtilitatis, duplex animo, sermone lepidus, concinnandis fabricandisque commentis edoctus, in reperiendis ac variandis consiliis vehementer astutus. Nunquam erigebat brachia contra torrentem, sed ex quocunque latere mundani turbinis eum aura proflaret; ille protinus aptum calliditatis, atque versutiae pallium opponebat. Accidit autem, ut hunc post

orbitum quidam frater nocturna visione conspiceret. Lacus erat igneus; qui flammivomis vaporabat incendiis, et crepitantibus ignium globis terribilem cernentibus incutiebat horrorem; quem lacum trabalis enormitatis videbantur obsidere dracones, variaque serpentium genera, hinc inde per circuitum spatari. Vir autem ille quem diximus, in ipsa flammarum stridentium voragine coarctatus, tentabat quidem effugere, sed obstantibus bestiis, dolebat aditum non patere. Modo scilicet ex hac parte fugam parabat; sed ecce serpens obvius aderat. Per aliam partem erumpere satagebat, sed ecce rursus alia bestia laxo gutture stridens iter occluserat. Ille rursus et alia ad evadendum loca tentabat, sed insurgentibus bestiis, omnino meatus aufugii non patebat. Porro autem cum Veritas dicat: «Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis (**Matth. VII; Marc. IV**);» hoc illi justo Dei iudicio contingebat. Sicut enim ille per carnalis astutiae vanitatem, ex quibuslibet huius saeculi se noverat laqueis expedire; ita postmodum versa vice nullo valebat ingenio supplicium, quo cruciabatur, evadere. Qui nimirum si prudentiam, qua callebat, in divinis studuisset exercere mandatis, non cremaretur inter rabida ora serpentium, sed gauderet potius inter agmina beatorum.

CAPUT III. *Aliud exemplum cujusdam non dantis honorem loco sacro*

Unum plane contigit in nostris partibus de quodam carnaliter sapiente, quod dignum non est silentio praeterire. Fanensis quidam primarius civitatis, Hugo nomine, ipsa nocte, quae

peracta Parasceve, sacrosanctum Sabbatum Dominicae sepulturae praecedit, cum armis et armatis ingressus ecclesiam, in qua divinis vacabatur officiis, perosum sibi violenter hominem cepit, ac vinculis crudeliter mancipavit. Quem quia nova praesumpsit, novo Deus omnipotens supplicio condemnavit. Nam cum sensum mentis, in quantum mihi videtur, integrum teneat, omnes eum tanquam vesanum, exinanitum, atque dementem conspuunt, abjiciunt, et exprobrant. **591** Halitum quippe ejus, juxta querelam B. Job uxor exhorret (**Job XIX**), eumque velut arreptitium nurus explodit, ad mensam, sive colloquium filius non admittit, avertunt oculos famuli, dedignantur amici, clientes, milites, affines atque propinqui: episcopus etiam civitatis, et, ut compendiose cuncta complectar, omnis clerus et populus jam fere per duodennium arbitrantur eum mentis impotem et vesanum, nullumque cum eo tanquam energumeno dignantur habere consortium. Porro cum dives sit, et exuberans domus ejus, fluunt pannosae et illotae vestes, horret inculta caesaries, caput ejus diuturni sudoris fetet injuria, corpus totum per longam sordet incuriam. Hic plane, cum me adesse cognosceret, me concitus adiit, mala quae patiebatur exposuit, querelam de suis sobrio sermone digessit, et (quantum ex tenore verborum ejus colligere potui) rationabiliter declamavit. Itaque conveni filium, episcopum quoque ac de civitate quamplurimos, et subtiliter inquisivi, quod inordinatum, quid delirum, quid ineptum in illo conspicerent, pro quo illi vesaniam imputarent. A quibus utique nihil aliud, et ne unum quidem certi signi verbum addiscere potui, nisi hoc tantum, quia demens est: quod omnes ore consono unanimiter afferebant. Cumque ego dicerem: Quomodo id scitis, quibusve indiciis eum insanire conjicitis? Nihil aliud

invenientes, idipsum denuo replicabant: Demens est. Quod mihi videtur profundum atque admirabile Dei omnipotentis esse iudicium, ut qui prudens, et sciens sponte desipuisse cognoscitur, prudens et sciens opinione vesaniae puniatur: et qui sponte factus est furiosus, demens ab omni populo iudicetur invitus. Merito contra votum adjudicatur insaniae, qui voluntate propria conatus est insanire. Enimvero si veraciter fureret, eo minus miser esset, quo despectus sui mala, quae patitur, ignoraret. Non est itaque sicut mortuus saeculi (**Psal. CXLII**), qui non sentit; sed sicut mortuus est inferni, qui jugiter moritur, et mortem ipsam sentire non desinit. Salvo nempe illo terribili in mundi fine iudicio, nunc etiam omnipotens Deus non modo crudelia quaelibet facta, sed et superba, sive sacrilega, prout dignum est, ulciscitur verba. Vindicavit siquidem, quod Balthassar sacra vasa temulentus indigne tractavit (**Dan. V**); nec dimisit inultum, quod Nabuchodonosor arroganter elata verba deprompsit: «Nonne, inquit, haec est Babylon magna, quam ego aedificavi in domum regni, in robore fortitudinis meae, et in gloria decoris mei?» (**Dan. IV.**) Et ecce sicut propheta testatur, cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de coelo ruit: «Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex, regnum transit a te, et ab hominibus te ejicient, et, cum bestiis, atque feris erit habitatio tua (**Ibid.**).» Punivit praeterea Dominus Sedechiam regem Juda, qui per reprobos actus Dei mandatum contempsit (**II Par. XXXVI**). Ultus est etiam Ananiam prophetam, non quia malum fecit, sed quia mendacium protulit. Cui Jeremias: «Non, inquit, misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio, idcirco haec dicit Dominus: Ecce mittam te a facie terrae: hoc anno morieris (**Jer. XXVIII**).»

592 CAPUT IV. *Clerici pugnacis, insolentis et blasphemii caedes.*

Novis [Nostris *f.*] quoque temporibus accidit, ut in Burgundiae regno quidam clericus esset superbus nimis ac tumidus: et non modo carnali vitae saeculariter deditus, sed et contra suum ordinem terribiliter bellicosus. Hic itaque cum ecclesiam B. Mauritii multis inclytam praediis, suis ditionibus usurparet; potens autem quidam e diverso sui juris esse, non sine magna livoris atque certaminis animositate contenderet, tandem belli dies utroque paciscente statuitur, et a multis hinc inde frementium armatorum agminibus convenitur. Potens autem ille, quem diximus, nuntium ad hostilia castra direxit, qui et apparatus belli solerti speculatione perpenderet, ac sibi celeriter nuntiaret. Forte tunc clericus missam cum his, qui dimicaturi erant, suis fautoribus audiebat. Cumque ad Evangelium veniretur, in fine lectum est: «Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur (**Matth. XXIII; Luc. XIV, XVIII**).» Illico clericus in hanc sacrilegam vocem protervus erupit: Haec, inquit, sententia vera non est; nam si ego me meis adversariis humiliter inclinassem, hodie tot possessionum atque clientium copias non haberem. Reversus autem nuntius domino suo fideliter retulit, non modo quod in bellici procinctus apparatu conspexit, sed hoc etiam quod in ore clerici tumide loquentis audivit. Tunc ille plaudens in Domino laetus efficitur, atque ad spem procul dubio obtinendae victoriae milites cohortatur. Conglobatis itaque diversorum

cuneis armatorum, ex utraque parte pugna committitur, vires viribus opponuntur, depressa telorum silva deponitur, et humanis inflicta corporibus arma grassantur. Habebat autem clericus equam, quam videlicet praeliaturus ascenderat, tantae velocitatis ac roboris, ut nullus sibi videretur equus, aut mulus ad dimicandum posse praeferri. Casu, imo Deo disponente, contigerat, quod praecedenti nocte jumentum illud stabulo solutum abscederet, acervumque salis inveniens, ex eo plurimum comederet. Clericus itaque dum in acie constitutus super aquae rivulum deveniret, ibique cominus adversantium armis arma conferret, jumentum, ut erat assumpti salis copia sitibundum, frenum de manu rectoris violenter extorsit, suisque totum viribus vindicavit, ac praesto caput in aquam ad bibendum inhianter immersit. Ille vero, dum ea manu, qua scutum tenebat, cum jumento confligit, hostilibus jaculis faciem coactus exponit: et ecce repente gladius os ejus fulminis more transfixit, talique vir reprobis vitam suam fine conclusit. O quam congrue in illa pertulit corporis parte vindictam, qua nigri fellis in Dominum vomuerat blasphemiam! Et cum Propheta de talibus dicat: «Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae, et lingua eorum gladius acutus (**Psal. LVI**);» qui linguam suam et dentes adversus Deum gladii more vibravit, digne per eadem membra materialis gladii poenas exsolvit. **593** Isti plane contigit quod Dominus in Evangelio dicit: «Quia super decem et octo homines turris Siloe cecidit, et occidit eos (**Luc. XIII**).» Quem vero mystice turris illa significat, nisi illum cui Psalmista decantat: «Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici?» (**Psal. LX**.) Huic enim expositioni ipsum quoque Siloe nomen adgaudet. Siloe siquidem interpretatur, *missus*. Haud dubium quin sit ille, qui

dicit: «Qui me misit, mecum est (**Joan. VIII**).» Et ibi caecus a nativitate lumen accipit ab eo qui ait: «Ego sum lux mundi (**Matth. XXI**).» De casu istius turris alibi sub figura dicitur lapidis: «Omnis qui ceciderit super illum confringetur, supra quem vero ceciderit, conteret eum.» Super hanc turrim, sive lapidem, cadit homo, atque confringitur, cum per fragilitatem aliquam peccat, sed ejus super se ruina conteritur, cum superbe blasphemat. Turris ergo Siloe super hunc clericum cecidit, et sicut blasphemando meruerat, omnino contrivit.

CAPUT V. *Quod Deus nullum peccatum impunitum relinquit.*

Et quid mirum, si gravia nos peccata tormentis addicant, cum subtile Dei judicium impunita etiam minima non relinquat? Imo quid novum, si reprobae locutionis sacrilegium damnat, cum ipsa quoque laudis suae praeconia, nisi digne sint deprompta, contemnat? Adraldi nempe prudentis et religiosi viri, qui Bremetensi praeminet monasterio, didici relatione quod scribo, quod etiam inditum litteris esse dicebat. Clericus, inquit, Coloniensis Ecclesiae vadum fluminis transibat, et ecce beatus Severinus ejusdem Ecclesiae nuper episcopus, equi ejus habenas apprehendit, eumque retinens, sistit. Cumque ille in stuporem versus, et graviter admiratus, cur illic tam clarus et tam celebris famae vir moraretur inquireret: Da mihi, ait, manum tuam, et quae circa me sunt,

non auditu disce, sed tactu. Cumque datam manum fluctibus episcopus impressisset, tantus eam ardor absorbuit, ut undique carnes ejus resolutae diffluerent, et ossa nuda vix haerentibus articulis remanerent. Ad quem clericus, [cum *adde*] nomen, inquit, tuum in tanta benedictione sit apud nos, et fama tua consonis totius Ecclesiae praeconiis celebretur, cur te pestilens haec vorago constringit, tantoque, proh dolor! incendio cruciaris? Ad quem sanctus episcopus: Nihil, ait, aliud in me remansit ultione plectendum, praeter hoc tantum, quia dum, in aula regia constitutus, imperialibus me consiliis vehementer implicui, canonicae synaxis officia per distincta horarum spatia non persolvi. Mane quippe simul omnia coacervans, tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero supplicium. Tu vero omnipotentis Dei clementiam humiliter implora, ut manum tuam in salutis pristinae restituat statum. Quod cum factum fuisset: Vade, inquit, fili, obsecra fratres nostros Ecclesiae clericos, et alios spirituales **594** viros, ut pro me preces fundant, indigentibus subsidia conferant, sacrificiorum votis insistant. His enim peractis, ego mox de vinculo poenae hujus indubitanter expediar, et expectantibus me beatorum civium choris laetus adjungar. Quod certe magnam nobis debet inferre formidinem, quia cum sanctum virum, uni culpae duntaxat obnoxium, tam intolerabilis purgatorii poena constrinxerit, vae, vae, quae mihi, meisque similibus est inferenda sententia, quos tot reatum prolixitas gravat?

CAPUT VI. *Quod Dei laudes foedis cogitationibus non sint inquinandae.*

Distinguenda sunt ego per momenta temporum ecclesiasticae institutionis officia, et sub magna divini timoris, ac reverentiae dicenda sunt disciplina, ne dum psallimus, fructum spiritus cum carnis desidia misceamus. Quid enim prodest, hostiam Deo laudis offerre, et per torporem negligentiae foedis sese cogitationibus inquinare? Hanc porro boni, malique misturam locus ille significat evangelicus, ubi dicitur: Quia docente Domino, aderant quidam ipso in tempore nuntiantes illi de Galilaeis (**Luc. XIII**), quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Nam quia Pilatus, os malleatoris interpretatur, quid per hunc, nisi diabolus debemus intelligere, qui paratus est semper homines offensionum ictibus verberare? Unde et virgam super humeros hominum tenere dicitur per Prophetam: «Virgam, inquit, humeri ejus superasti, sicut in die Madian (**Isa. IX**).» Quid vero sanguis, nisi peccata? Quid sacrificia, nisi rectas, et acceptabiles Deo significant actiones? Pilatus ergo Galilaeorum sanguinem cum sacrificiis miscuit, quia malignus spiritus vel orationes nostras pravis cogitationibus polluit, vel opera bona peccati cujuslibet attaminatione corrumpit, ut sanguis sacrificium polluat; dum reatus offensio oblatam Deo recti operis victimam foedat. Unde scriptum est: «Quia cum Abraham Deo sacrificium de pecoribus, ac volucribus devotus offerret, descenderunt volucres super cadavera, et abigebat eas Abraham (**Gen. XV**).» Quid enim exprimunt volucres, nisi reprobos spiritus per aera volitantes? volucres ergo a sacrificio nostro

repellimus, cum operum nostrorum victimas a malignis spiritibus eas foedare tentantibus, provide custodimus.

Idem sane, quem praediximus, Adraldus, dum in Burgundiae regno mihi conviator incederet: In hoc, inquit, loco per quem nunc transitum habemus, aliquid contigit, quod si dicimus, non videtur otiosum. Frater quidam nostri coenobii (haud dubium quin Cluniacensis) piaae mentis, et rectae conversationis vir, hinc aliquando transibat; et ecce crinitus quidam, quasi ex Hierosolymitana peregrinatione deveniens, palmam ferebat in manu. Cumque peregrinus, et monachus invicem obvii sese altrinsecus pertransiissent ait ille: Completorium in lecto, nec salus est, nec profectus. Quod frater audiens, admiratus expavit, ac repente post terga respiciens, eum videre non potuit. **595** Mox enim ut verbum protulit, omnino disparuit. Ille vero ad conscientiam mox reversus invenit, quia pridiano vespere lassus de via redierat, et fessa in lectulum membra projiciens, jacendo canonicas horas compleverat. Utrum ille angelus fuerit, an revera, sicut videbatur, homo, Dei ducimus relinquendum esse iudicio.

In hac etiam eremo fontis Avellani, ubi nunc habito, prior quidam fuerat, nomine Joannes, qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper et gracilis. Hac itaque sui corporis imbecilla tenuitate confisus, saepe jacens in lecto completorium decurrebat. Accidit autem ut daemoniacus quidam non procul abesset, qui multa hominum secreta, et obscenos actus impudens propalaret. Cumque praefatus Joannes daemonem exire praeciperet, et quibusdam exorcismi quaestionibus flagellaret: Tunc, ait, ille es, qui sub cotto quotidie completorium insusurras, et modo me quasi sanctus ejicere, et juris mei vasculum de meo vis dominio

liberare? Hoc audito, frater erubuit, quia rei veritatem etiam per mendacii recognovit auctorem.

Alter etiam eremita, qui vocabatur Joannes de Anso, cum ei, ut egrederetur vehementer insisteret, ac divini nominis adjurium crebrius intentaret: Nunquid oblitus es, ait, hac tibi nocte quid fecerim? Nam, si non excidit, certus es quia dum ego me in apri silvestris effigiem verti, tu me quasi venator insectabaris. Sed qui videbar aper, subito speciem venustae mulieris assumpsi, atque in osculum tuum ruens, ut semen effunderes, cum gloria triumphavi. Cum itaque reprobis spiritus de fratre delinquente per soporis energiam se gloriatur habuisse triumphum; quanto putamus eum gaudere tripudio super his, qui labuntur in adulterium, vel incestum? Unde saepe Deus omnipotens terribile exhibet etiam in hac vita iudicium, nec tamen miseri homines desinunt iterare plectendum.

Nam Robertus Gallorum rex, avus istius Philippi, qui in paterni juris sceptris successit, propinquam sibi copulavit uxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia collum, et caput habentem. Quos etiam, virum scilicet et uxorem, omnes fere Galliarum episcopi, communi simul excommunicare sententia. Cujus sacerdotalis edicti tantus omnem undique populum terror invasit, ut ab ejus universi societate recederent, nec praeter duos sibi servulos ad necessarii victus obsequium remanerent: qui tamen et ipsi omnia vasa, in quibus rex edebat, vel bibebat, percepto cibo, abominabilia judicantes, pabulum ignibus exhibebant. His tandem rex coactus angustiis, ad sanum consilium rediens, divertit incestum, iniitque legale connubium.

CAPUT VII. *Quod non sunt commatres ducendae uxores.*

Sed et Otto rex Teutonicorum, qui postmodum imperator creatus est Romanorum, Adalaidem Italiae reginam, quae sibi commater **596** exstiterat, suscepit in conjugem. Quem filius ejus Almificus, qui Maguntinae praesidebat pastor Ecclesiae, coepit constanter arguere, et scelestum luridumque conjugium publice condemnare. Pater autem vehementer iratus, eum comprehendi praecepit, et carcerali mox custodiae mancipavit; quem per annale circiter spatium carcer inclusit, sed a correctione linguam terroris vinculum non ligavit. Cum vero pater eum quadragesimali decurrente jejunio, de custodia decrevisset educere, antequam psalterium expleret, quod aureis exarabat apicibus, recusavit exire. Verumtamen dum exivit, zelo sacerdotalis accensus auctoritatis, non quievit, sed mox in patrem jaculum publicae excommunicationis intorsit. O vere dignum regio genere sacerdotem, qui in causa Dei non imperiale fastigium, non paternum recognovit affectum; sed dum paternam ac regiam auctoritatem in solo Deo constituit, hunc hominem ejus legibus resistentem, a se prorsus extraneum deputavit. Dixit autem patri: Tu arbitraris me adversum te insolenter agere, te vero praejudicium sustinere: cito praenosces, quia die sancto Pentecostes uterque simul astabimus ante Deum, ibique ventilabitur internos, librata justitiae lance, litigium. Ibi luce clarius apparebit quis nostrum aequitatis lineam teneat, quis Dei legibus contradicat. Factumque est, ipso, qui dictus est, sacrosanctae solemnitatis

die, ut dum praefatus Augustus imperialibus infulis redimitus, multorumque pontificum choris, sive procerum vallatus agminibus, missarum solemnibus interesset, repentino super eum veniente iudicio, repertus sit mortuus. Episcopus autem in Domino jam quieverat. Sic sic qui de incesto conjugio contempsit inter homines judicari, ad tribunal aeterni iudicis coactus est pertrahi; et qui subjectum sibi dedignatus est audire pontificem, terribilem super se non potuit evadere maiestatem.

Haec ego, venerabilis pater, et alia quamplurima, non sine magnae formidinis angore conscribo; ne videlicet, vel relatores mei merae veritatis semitam non tenuerint, vel ipse quoque relationum in quolibet immemor oblivione deliquerim. Verumtamen teste conscientia, non haec mentiendi voto, sed aedificationis affectu, prout melius possum, narrata recolere, satago schedulis adnotare. Si quid mihi tamen in his oblivionis obrepsit, imo quidquid humanae conditionis infirmitate deliqui antequam nexibus huius carnis absolvar, divina mihi pietas tuis orationibus in memoriam revocet, ac digne lugere permittat; ne viventi mihi poenitendum quid manere possit occultum, quod morientis sit oculis ingerendum.

Horno abbas Cluniacensis, cum ad suum me monasterium perduxisset, frater quidam senex in infirmorum domo, ingravescente totius corporis tumore, languebat. Hic porro, cum abbatis comperisset adesse praesentiam, laetus effectus, divinam coepit implorare clementiam: Domine, inquit, quem nullum latet occultum, quaeso, si quid reatus in me est, quod non sim hucusque confessus, tu mihi misericorditer in memoria revoca, quatenus abbati meo dum

praesens **597** est, pure confitear; atque ab eo, qui jus hoc in me prae caeteris habet, judicatus absolvat. Hoc dicto, hujusmodi vox auribus ejus insonuit: Certe est, certe est aliquid in te, quod confessus adhuc non es. Cumque ille vocem solam audiret, sed a quo procederet, non videret, orando subjunxit: Exprime, domine, manifeste quid hoc sit, ut confessus corrigam quod erravi. Porro vox eadem peccatum quoddam [sicut quaerebat] signanter expressit, quod ille a se commissum illico recognovit, et abbati festinanter ascito, facta confessione, purgavit, paucisque post diebus in sancta pace defunctus est.

CAPUT VIII. Terribile exemplum cujusdam hominis desperati, ac interficientis seipsum.

Non talem sortitus est finem clericus ille, de quo mihi idem Hugo Cluniacensis monasterii rector fida relatione narravit: Religiosus, inquit, quidam episcopus in expeditione positus, cum venisset ad ripam cujusdam fluminis, substitit, ibique lassus recreare spiritum coepit. Cumque illic tranquille quiesceret, audivit vocem de fluminis alveo prodeuntem, et haec verba clarius exprimentem: Hora venit, homo non venit. His auditis episcopus sollicitus redditur: et recogitans hoc sine mysterio esse non posse, adventum rei solerti custodia praestolatur. Sed dum attentus explorator exspectat, dumque haec et illa recogitat, ecce quidam clericus agillime properabat, equumque calcaribus atterens, amnem transire quantocius festinabat. Admonuit autem suos episcopus, ut obvios se venienti festinanter objicerent,

eumque a sui cursus impetu retinerent. Cumque ille perniciousiter properans, flumen aggrediretur praecipitanter invadere, ac sine mora transire; illique contra violenter obsisterent, et gradum figere compulissent, ait: Quiescite, quaeso, dimittite me, recedite; quia jussio regis urget. Non est res, quae deferri possit in posterum. Mysterium regis instat, inevitabilis necessitas imperat. Quid plura? Sanctus episcopus eum violentissime retentum, supervenienti nocte secum habere coegit hospitium. Sed, o misera hominis ac lugenda conditio, quae facilius valet sibi consciscere mala cum desunt, quam vitare cum imminet! Episcopo scilicet cum suis gravi sopore depresso, ille vas aquae in hospitio reperit, in quod caput immergens, suus ipse tortor effectus, se feraliter enecavit. Sed sicut iste, licet occulto, districto tamen Dei iudicio, carnis interitum pertulit; ita per ejus piam clementiam mortem animae simul et corporis alter evasit.

CAPUT IX. *Votifragus infirmitate corripitur, ut resipiscat.*

Nam quod nunc dicturus sum, et ex relatione jam dicti Cluniacensis abbatis, **598** et ex ore illius, cui res ipsa contigerat, frequentius audivi. Adolescens quidam erat in finibus Aquitaniae, qui cum coaevis suis juvenculis de animarum suarum coepit salute tractare. Deliberatione praemissa, tandem statuunt, ac unanimi invicem confoederatione proponunt, et mundani cultus pompas

abjicere, et ad monasticae conversationis ordinem commigrare. Sed dum res adhuc suspensa differtur, dum rerum ordo multiplici varietate concutitur; ipse quoque tener adolescentis animus fixus in suo proposito non tenetur. Quid multa? Mutata penitus mente desponsavit uxorem. Cumque per processum temporis mens ejus et memoriam sancti propositi paulatim de se prorsus eraderet, et sub praetextu conjugii ad explendam carnalis illecebrae voluptatem impatientius ebulliret, divina super eum vigilante clementia, subito languore percussus est, ac paulo post ad extrema pervenit. Necessary igitur, ac propinquis de jam quasi defuncti disputantibus sepultura, dum in medio positus videretur cadaver exanime, vixque tenuis quidam motus in ejus pectore palpitaret; ecce duo teterrimi ac trucis vultus Aethiopes eum (ut sibi videbatur) tanquam leones rugientes invadunt, rapaci ferocitate corripunt, de corpore violenter evellunt, mox pedes ejus, et brachia duris alligant nexibus, sicque velut haedum in phalanga pendulum alter post alterum bajulare coeperunt. Quos autem dolores, et torsiones ipse pertulerit, quantum, et qualia viderit, vel audierit, per quamplurima eum loca vectaverint, perlongum est non tantum stylo dirigere, sed simplicibus quoque verbis ex ore per ordinem referentis audire. Hoc tantum hic inferre sufficiat, quia dum per obscurae caliginis eum loca portarent; ecce B. Petrus apostolus splendidus et coruscans occurrit, eumque de portantium humeris raptum, nexibus, quibusangebatur, absolvit. Illi mox relictam praedam stridentes dentibus, et ejulantes abscedunt, factumque sibi praejudicium flebiles conqueruntur. Beatus autem apostolus adolescentem ad Cluniaci monasterium secum duxit, eique forinsecus posito, sese, donec reverteretur, exspectare praecepit. Ego, inquit,

meum monasterium ingrediens visito, ac per circuitum cuncta perlustrans, quid agatur, attendo: deinde ad te, consideratis omnibus, redeo. Sed mox ut iste relictus est solus, ecce crudeliores et acriores iidem revertuntur Aethiopes, et non jam per manus et pedes, sed per genitalia ipsa corripunt, eumque sic non sine gravissimo illius dolore suspendunt. Nam velut si rostro passer accipitris, vel aquilinis unguibus columba rapiatur implumis; sic a reprobis illis spiritibus miser iste corripitur, trahitur libratus, per verenda suspenditur, et quasi recuperata praeda, quae fuerat perdita, longius asportatur; cum ecce beatus Petrus radianti nimis, ac terribili splendore conspicuus, se tanquam fulmen iniecit, rapinam suam quasi per impetum violenti spiritus apprehendit, et clavibus quas manu gestabat, raptores nequissimos acerrime verberavit. Mox illum ad domum propriam usque perduxit, reddensque spiritum corpori, utramque saluti substantiam reformavit. Nam ille protinus convalescens, **599** domui suae sine cunctatione disposuit, atque ad Cluniacense monasterium properans, sanctae conversationis habitum fervida satis devotione suscepit. Sic itaque divinae militiae transfuga, dum paterni verberis disciplina coelitus eruditur, de manu cruenti praedonis eripitur, et ovis oberrans ad proprii pastoris mapalia revocatur. Sed jam se reprimens calamus cohibeat stylum, ne regulam brevitatis excedat epistolare compendium.

Scribite, si placet distichoa istud in refectorio, sub pedibus apostolorum.

Ignit apostolicum linguarum flamma senatum,
Germinat et varias quasi vox fecunda loquelas.

DISPUTATIO. DE VARIIS APPARITIONIBUS ET MIRACULIS.

ARGUMENTUM.

Archiepiscopo, utpote qui talibus rebus audiendis magnopere delectabatur, nuntiat canonicos Velitrensis Ecclesiae, cui ipse praeerat emersisse tandem aliquando, et se ad bonam, ut dicitur, frugem recepisse, eosque juxta praescriptam sibi disciplinam, non ut ante coactos, sed sponte et libenter vitam instituere. Affert deinde nonnulla exempla, et mira, quae multis contigerunt, ex quibus non parva utilitas percipi potest.

Domno A. venerabili archiepiscopo, PETRUS peccator monachus plenissimae devotionis affectum.

Quia novi sanctam mentem tuam, venerabilis Pater, praecipue de hominum salute gaudere, adeo ut cum animarum te contigit audire profectum, velut ad dulcium epularum aggliscas, ac delecteris edulium.

Refero tibi de canonicis nostris, sanctae videlicet Velitrensis Ecclesiae, quia qui sub multis laboribus nostris atque sudoribus incorrigibiles videbantur, jam per divinam gratiam resipiscunt, et per canonicae regulae tramitem non jam coacti, sed gaudentes incedunt. Unusquisque praeterea eorum quadragesimali tempore quotidie psalterium complet; tribus per hebdomadam diebus omnes vino et pulmento communiter abstinent; tantumque districtae conversationis videntur habere fervorem, ut per totam Quadragesimam, quae est ante Pascha: et illam, quae Nativitatem Domini nostri Jesu Christi consuetudinaliter antecedit, tribus in hebdomada diebus

unusquisque se in capitulo coram fratribus exuat, et propria peccata confessus, dura corrigiarum scutica perferat disciplinam. In quo videlicet sanctae conversationis indicio potes manifeste colligere, quid de caeteris vitae modis, et observationibus debeas aestimare. Et, o disciplina salutifera, nimirum carnis afflictio! in qua dum corpus ad humanum **600** nudatur aspectum, ante Dei oculos coruscantibus indumentis apparet ornatum. Porro vix dum mensis emensus est quo res contigit ista quam refero.

[DISPUTATIO DE VARIIS APPARATIONIBUS ET MIRACULIS.]

CAP. PRIMUM. *Baruncii eremitaе sanctitas.*

Baruncius plane mihi frater unanimis, et in amoris praecipui dulcedine singularis, non in eremo, sed in villa quadam eremo subjecta, dum opus ageret necessarium, languorum incurrit extremum. Qui dum sibi imminentem cognosceret obitum, fratribus, qui sibi sedulitatis officium exhibebant, poenitentiam sibi proposuit injungi: qui dum tres, vel ut multum, quatuor psalmos, utpote sancto, et innocenti viro, sufficere judicarent; ille petiit, ut decem sibi annorum poenitentiam traderent, quam illico peragendam fratribus, qui morabantur in eremo, quantocius delegarent. Nocte igitur insecuta, dum quique per cellas constituti post gallicinium nudati, corporalibus disciplinis insisterent, festinarentque fratres poenitentiam, antequam ille moreretur, implere; Lamberto fratri, qui sibi sedulus assistebat, Baruncius ait: Cur,

inquit, te non praeparas, et sicut caeteri fratres indumentis ecclesiasticis non adornas? Omnes enim de eremo fratres usque modo mihi visibiliter astiterunt, albis nimirum ac resplendentibus stolis induti, et velut in choro psallentes micantium vestium candore conspicui. Compulit ergo illum, ut ad eorum indueretur exemplum. Ubi notandum, quia dum fratres illi nudati corporalibus disciplinis essent ab ipso procul intenti, ei, ut ita loquar, non jam carnalibus, sed spiritualibus oculis decoro cultu videbantur induti. Is plane, qui mihi hoc retulit, venerabilis pater Liutprandus aliud etiam mihi consequenter innotuit, quod ab audientium aedificatione non vacat.

Initio, inquit, illius Quadragesimae, quae Nativitatem Dominicam ex ecclesiastica institutione praecedit, tanta mihi subito molestia repentini languoris incubuit; ut vix pedibus constanter insisterem, nedum possem regulam quotidianae conversationis implere. Cumque tenebrosis atque confusis cogitationibus fluctuans, jejunium funditus desperarem, ac de quotidiana deinceps ciborum remissione decernerem, subito lenis mihi sopor obresit, et super codicem, cui videlicet intentus eram, caput paululum reclinavi. Tunc mihi visum est, quod tota cella plena esset fumo, et insuper quamplures illic essent homines, qui clamoris ac mutuis inter se vociferarentur colloquiis: cum ecce sanctus frater Juventius, qui in eadem eremo laudabiliter conversatur, repente cellulae fores irrupit, et zelo severissimae animadversionis homines exturbavit, ac sine mora violenter propellens exclusit. Num, inquit, hujus eremi non est inviolabilis regula, ut colloquium fieri in cella quisque non audeat, sed ingredientium labia silentii protinus censura compescat? Moxque manutergium repente corripuit,

omnemque fumi chaos, tetramque congeriem, qua cella replebatur, abjecit. Quo facto, protinus exsoporatus **601** evigilo, mentemque meam ab omni fumigantium cogitationum caligine liberam, non sine magna cordis laetitia recognosco. Tunc itaque omni taedio tentationis atque languoris expulso, tantae virtutis in me robur ac fortitudinem reperi, ut per totam illam Quadragesimam usque ad Dominicam Nativitatem vix aliquando vel leviter esurirem: et ne uno quidem die praeter panem et aquam, nisi fallor, alia quaelibet alimenta requirerem.

*CAP. II.---Parisiensis episcopi intemperantia
divinitus punitur.*

Et, o utinam sic Albuino [Alberico *f.*] Parisiensis Ecclesiae contigisset episcopo. Cui nimirum dum septimi, si rite teneo, mensis jejunium celebraret; et profligato jam jejunii biduo, ad Sabbatum pervenisset, singularis ferus venatione captus, offertur. Mox ille in concupiscentiam lethalis edulii pestilenter illectus exarsit, jejunium in alteram hebdomadam transferendum esse decrevit: et confestim coquis, ut porcum accuratius coquerent, imperavit. Illo itaque die gulae suae perfecit homo miserabilis appetitum, octavo autem, proximo videlicet Sabbato, diem clausit extremum. Et hoc certe digne commeruit, qui de Ecclesiae sacrario quasi sepulcra concupiscentiae fecit in deserto (**Num. XI**). Quid autem mirum, si illic, ubi tam aperta est culpa, manifeste est

irrogata vindicta, cum saepe miserabilem rei videamus eventum, et tamen ignoremus supernae dispositionis causa latente mysterium?

Leo plane dudum Puteolanus episcopus, nunc autem nobilis eremita, nuper mihi et fratribus retulit, quia cum daemoniacus quidam esset in monasterio, quod apud Parhenopen est in beati Agnelli confessoris honorem constructum, in hominem prope astantem repentinus insiluit, eumque rabido furore percutiens, protinus interfecit. Et, o quis profunda Dei judicia penetrare sufficiat! Mox enim, ut innocentem hominem furibundus exstinxit, confestim a daemonio liberatus, et menti suae ac rationi pristinae restitutus, nunquam de caetero passionis illius molestiam pertulit. Inquisitus autem cur hoc facinus perpetraverit: Hominem, inquit, non vidi, sed nigrum canem, qui me mordicus apprehendere satagebat, sicut mihi videbatur, occidi. In hoc igitur occulte dispositionis effectus causa non claruit, cur videlicet vel ille repentino dignus fuerit vulnere perimi; vel iste meruerit a daemonio liberari. Cum et ille, quantum ad humanum spectat arbitrium, innocenter occisus; et iste, quantum ad exterioris reatus speciem, videatur ultione plectendus. Et quid mirum, si merita nobis aliena non pateant; cum et ipsi saepe, quod fecimus, per oblivionis hebetudinem ignoremus?

602 CAP. III.---*B. virgo Maria in suae
festivitatis Assumptione innumeros liberat a
poenis Purgatorii.*

Religiosus plane presbyter Joannes rem mihi retulit ante paucos annos Romae contigisse, quam narro. In Assumptione scilicet beatae Dei genitricis Mariae, cum nocturno tempore Romanus populus juxta morem orationibus et litaniiis insisteret, et accensis luminibus diversarum regionum ecclesias perlustraret; mulier quaedam in basilica, quae est ad honorem ejusdem beatae Virginis, in Capitulo [Capitolio vel Campitello *f.*] constituta, commatrem suam vidit, quae scilicet ab anno fere fuerat jam defuncta. Cumque per multitudinem confluentium ad ejus attingere non potuisset alloquium, studuit eam in tali cujusdam angiportus articulo praestolari; ut dubium non esset, quod egressa basilicam, ab ea asclinare non posset. Hanc itaque transeuntem protinus inquisivit: Num, inquit, tu commater mea es, Marozia videlicet, quae dudum defuncta es? Hoc illi vocabulum fuerat, dum adviveret. Qua respondente: Ipsa sum. Et quomodo, inquit, tibi nunc est? Ait: Usque hodie non levis me poena constrinxit, quia videlicet per lasciviae petulantis illecebras cum coetaneis me puellis in tenera adhuc aetate foedavi; et hoc ipsum, proh dolor! oblivioni quodammodo tradens, sacerdoti quidem confessa fui, sed judicium non accepi. Verum hodie regina mundi pro nobis preces fudit, meque cum multis aliis de locis poenalibus liberavit, tantaque multitudo per interventionem ejus hodie est de tormentis erepta, ut numerum totius Romanae plebis excedat; unde sacra eidem dominae nostrae gloriosae dicata passim loca visitamus, actionesque sibi gratiarum pro tantis misericordiae beneficiis alacres exhibemus. Cumque super hoc commater illius ambigeret, nec fidem facile sermonibus adhiberet, subjunxit: Ut experiaris, inquit, pro certo verum esse quod loquor, scias te transacto

hoc anno, in hac eadem festivitate procul dubio morituram. Quod si, quod fieri non potest, ulterius vixeris, me protulisse mendacium liquido comprobabis. Et his dictis, ab oculis ejus evanuit. Mox illa cilicium induit, et de obitu suo sollicita, quae audierat, vivere cautius coepit. Quid plura? Peracto fere anno pridianis coepit aegrotare vigiliis? in ipso vero festivitatis die vitam, sicut ei demonstratum fuerat, terminavit. Ubi notandum, et non leviter expavescendum, quia de peracta culpa, quam praefata mulier oblivioni tradiderat, usque ad interventum intemeratae Dei Genitricis supplicia perferebat.

CAP. IV---Sanctorum apparitio pulcherrima Romae in ecclesia sanctae Caeciliae.

Rainaldus quoque Cumanus episcopus mihi narravit, quod et ab Humberto venerabili sanctae Ruffinae quondam episcopo se didicisse perhibuit. Presbyterum, inquit, nocturno **603** silentio quiescentem, compater suus, qui defunctus fuerat, in visione clamavit, dicens: Veni, vide spectaculum, quod judicare non poteris otiosum. Duxit ergo illum ad basilicam beatae Caeciliae, in cujus videlicet atrio videbantur Agnes, Agatha, eademque Caecilia, multarumque beatarum virginum chorus, mirabili cultus et habitus nitore conspicuus. Hae nimirum parabant quamdam magnificam sedem, caeteris hinc inde subselliis eminentem, et ecce B. virgo Maria cum Petro, et Paulo atque David, ac non parvis martyrum diversorumque sanctorum vallata turmis micantibus venit, seseque in ea, quae parata erat, sede composuit. Porro autem dum in illo tam sancto conventu

silentium fieret, omnesque reverenter astarent, ecce mulier quaedam, licet paupercula, pelliceo tamen indumento decenter ornata, ad intemeratae Virginis vestigia corruit, eamque ut Joanni patricio jam defuncto misereretur, oravit. Cumque hoc ipsum mulier ter obsecrando repeteret, nec responsum aliquod impetrare posset, adjecit: Nosti, inquit, domina mea, regina mundi; ego sum misera illa, quae in atrio basilicae tuae majoris nuda et tremula jacere consueveram. Ille vero mox ut aspexit, pia mihi miseratione condoluit, et pellem hanc super me, qua videlicet erat indutus, injecit. Tunc beata Dei Genitrix: Homo, inquit, ille, de quo rogas, multa flagitiorum mole depressus est; duo tamen haec habuit, ut et indigentibus pius, et magna sacris locis exstitisset humilitate devotus. Frequenter enim oleum propriis cervicibus deferebat, et lucernis Ecclesiae meae fomitem ministrabat. Cumque super hoc eidem patricio et caeteri sancti testimonium perhiberent, eumque idipsum et suis ecclesiis egisse simul assererent; illico regina mundi praecepit, ut patricius ille duceretur ad medium; et ecce multitudo daemonum praefatum Joannem trahunt, poenalibus undique loris astrictum, et ambientium catenarum squaloribus vehementer attritum. Tunc eum domina nostra jussit absolvi, et sanctorum coetibus aggregari; vincula vero, quibus ille fuerat absolutus, alteri homini, qui in hac adhuc vita manebat, praecepit innectenda reponi. Tunc conventus ille sanctorum solutus est, et unusquisque in diversa contendens, ab aspectu cernentis evanuit. Beatus vero Petrus apostolus ad ecclesiam suam venit, cui protinus omnium successorum suorum, pontificum videlicet Romanorum, chorus infulatus ac festivus occurrit: ipse quoque beatus Petrus cum eatenus videretur indutus Hebraicis vestibus, sicut in picturis ubique conspicitur, tunc et

phrygium suscepit in capite; et sicut caeteri, sacerdotalibus infulis est ornatus in corpore. Tunc responsorium illud, quod dicitur: Tu es pastor ovium; melodiis atque mellifluis coeperunt intonare clamoribus; sicque illum usque ad sacerdotalis chori **604** consistorium deduxerunt. Quo perveniens, ipse apostolorum princeps nocturnum est exorsus officium, dicens: Domine, labia mea aperies: deinde tres psalmos, totidemque lectiones ac responsoria, quae in apostolorum natalitiis recensentur, canonico more persolvit. Omnibus itaque per ordinem rite decursis, matutinis quoque laudibus consequenter expletis, ejusdem ecclesiae tintinnabulum sonuit, et continuo presbyter, qui haec videbat, evigilans, somnium terminavit.

Praeterea idem, qui supra, mihi narravit episcopus, quia monachus quidam quotidie dum ante sanctum altare beatae Mariae semper virginis pertransiret, illam ex more percurrebat antiphonam, quae sic incipit: Gaude, Dei Genitrix virgo immaculata; gaude, quae gaudium ab angelo suscepisti; gaude, quae genuisti aeterni luminis claritatem; gaude, mater; gaude, sancta Dei Genitrix virgo. Tu sola mater innupta. Te laudat omnis factura. Genitrix lucis, intercede pro nobis. Quam videlicet antiphonam dum quadam die pertransiens diceret, audivit vocem ex eodem altario procedentem: Gaudium mihi annuntiasti, gaudium tibi eveniet.

CAP. V.---Officium mortuorum quotidie persolvens in coeleste regnum introducitur.

Sed et idem mihi narravit episcopus, quia frater quidam non quotidiano, non certe solemni sanctorum, sed solo utebatur, et delectabatur officio defunctorum. Cumque conditionis humanae debitum solvens tribunali superni Judicis astitisset; coepit turba daemonum vehementer hoc illi crimen impingere, quod ecclesiasticae institutionis regulam negligens, per assuetae synaxis officia vota Deo reddere contempsisset. Tunc beata regina mundi semper virgo Maria, et omnes sanctorum chori cum ea valenter occurrunt, seseque ad illius auxilium concorditer interponunt. Hic, inquit, noster capellanus ac minister exstitit: quodque defunctorum semper exsequiis libenter interfuit, nobis omnibus procul dubio ministravit. Absit igitur, ut in impiorum manus iste deveniat, qui piis erga nos, dum adviveret, studiis insudabat. Sic itaque beatae Virginis precibus, omniumque supplicatione sanctorum, in eorum meruit transire consortium. Ignorabat tamen hujus rei relator episcopus, utrum ille frater ad nos reversus, an aliis in hac vita degentibus ista retulerit.

Haec tibi, venerabilis frater, familiariter scribo, quia velut suavis epulis, sic in tua, quaecunque sit, allocutione delector: et mens mea continuo laetatur, et gliscit, cum aliquid, quod tibi congrue scribatur, occurrit.

Sit nomen Domini benedictum.

